

Joannes Choienski episcopus, Sigismundo regi Poloniae. Rex tunc in castris ad Leopolim erat.

103

Non est mihi dubium, quin sacra maiestas vestra, multas istis magnas et graves perferat molestias, ex quibus non concedo sacre maiestati vestrae maiorem ut ipsa dolorem accipiat et presens, quam quanto ego absens afficior. Sed ferenda sunt forti animo quae mutari non possunt. Sapientis est nihil prestare praeter culpam, à qua cum procul absit sacra maiestas vestra, consolari se poterit virtutis suae, recteque factorum conscientia, quo consolationis genere maius et firmitus nullum esse potest. Sciunt et memoria tenent boni omnes, quam pie, quamque clementer se semper gesserint sacra maiestas vestra, quemadmodum parentis potius indulgentissimi, quam aut regis, aut domini personam sustinent. Deus qui solus est uniuscuiusque factorum verus estimator, quem semper maiestas vestra pie coluit, ille eam proculdubio non deseret, in se, ut eam favore suo, spem suam et fiduciam positam et defixam habentem. Ille providit hactenus, ut in summa illa licentia, ne quid gravius accideret, ille motus etiam istos brevi omnes tranquillabit, et ad optatum exitum cuncta perducet, id quod ego quoque quamlibet indignus

divinam

divinam illius misericordiam diu noctesque pre:
cari non intermitto, quo possim sacram maiestatem
vestram, rebus istis et animi sententia
confectis, brevi rediorem incolumem videre, cuius
gratia demeritaque, qua maiore possum ani:
mi mei demissione, me commendo. Datum fra:
tiorie, millesimo quingentesimo trigesimo septimo.